

*Q. F. F. Q. S.*

COMMENTATIO ACADEMICA,  
De

**USU ET ABUSU  
ELOQVENTIAE,**

QUAM,

*Adprobante Ampliss. Facult. Philosoph.*  
*in Reg. Academ. Aboënsi,*

PRÆSIDE

**H E N R I C O  
H A S S E L,**

Eloq. PROFESS. Reg. & Ordin.

PRO GRADU MAGISTERII

*Publicæ bonorum disquisitioni sifit,*

**GABRIEL PETÉCHE,**  
*Borea-Finlandus.*

In Audit. Majori, die 2. Maii,  
ANN. MDCCLI.

*H. a. m. f.*

---

ABOÆ, Imprim. Direct. Reg. Acad. Aboëns. Officin.  
JACOB MERCKELL.





## I. N. 7.

### §. I.

**S**i homines rationis tantum dictamina sequerentur, nulla Rhetorum artificia, nulla lenocinia verborum, ambages & apparatus nulli requirentur; verum sermone perspicuo, dicitu<sup>r</sup> & intelligibili cogitationes animi sufficeret explicare. Veritas quando historica cum aliis communicaretur, vel res ipsæ proponerentur, earumque variæ proprietates, vires & operationes; vel in factis illorum occasiones, causæ, circumstantiæ & consecutio[n]es enarrarentur. Qui circa dubias hærerent quæstiones, quas aut adstruerent aut oppugnarent, hi suo satisfacerent officio, quum ex principiis genuinis & evidenteribus iusta serie conclusiones deduxerint, & quæ pro parte contraria fuerint prolata, exceperint repulerintque. Palmarium esset opus diligenter attendere, ne supervacaneæ narrationes & argumenta invalida in orationem irrepererent. Quis nescit plurima inter homines negotia tali compendio expediri? Non tropos & schemata conquirunt conjux cum conjuge, Pater cum filio, cum servo dominus colloquia

instituentes. Neque vel Philosophi, vel alii eruditi Rhetorum capsulas excutunt, qvum ore aut calamo arcana scientiarum aperiunt. Quid? quod Politici perspicacissimi, de gravissimis imperiorum negotiis agentes, parum current hæc artis Rheticæ pigmenta.

### §. II.

**V**Erum incidentur sœpe tempora', quibus veritati simplici nullus est locus. Homines enim non semper animadvertunt ad concilia rationis, ast levibus erroneisque haud raro agitantur opinionibus, & affectuum vehementia ceu turbine abripiuntur. Vulgus præcipue rude, mobile, temerarium, & in ipsa inconstantia pertinax, ut mare procellis laceflitum, vel minimas ob causas fremit ac inhorrescit; cui si verum simpliciter exposueris, omnem luderes operam, & surdis fabulam narrares.

### §. III.

**O**bservarunt hoc viri prudentes, in illis præsertim civitatibus, ubi magna erat plebis potentia; quare urgente necessitate illam ingressi sunt viam, quæ ingenio vulgari præ cæteris conveniret. Qvum igitur deliberandum esset, quid publicæ rei conduceret vel noceret, sive bellum id, sive pacem & civilem administrationem attingeret, pro eliciendo populi consen-

fu

53

str argumenta in medium produxerunt, non tam vera & solida, quam probabilia duntaxat, sonora, & quæ crassas rudium, numero prævalentium, apres maxime commoyerent.

#### §. IV.

**A**rgumenta tali ordine disposuerunt, ut animos audientium primum leviter perstringerent, mox vero percellerent, concuterent, expugnarent. Accesse-  
runt variae dictio[n]is veneres, ad delectandum compo-  
sitæ, quibus tantum capiebantur incauti, ut momen-  
ta argumentorum oscitanter expenderent. Quidquid  
erat verbis nitidum, figuris jucundum, translationi-  
bus magnificent ut pugiles quidam callidi adhibuerunt;  
& saepe non tam fortibus, quam fulgentibus armis  
pugnandum videbatur.

#### §. V.

**P**lurimum vero artis & operæ posuerunt in af-  
fectibus excitandis, flectendis, et quocunque modo rapiendis. Sic effecerunt, ut auditores modo læ-  
titia exsultarent, modo dolore percuterentur, modo  
ira & odio exardescerent, modo in amorem & com-  
miserationem converterentur. Atque, ne quid insi-  
diarum deesset, non ore tantum & voce, quæ tamen  
ipsa varie extollenda, submittenda, ac nescio quibus  
modis

modis torquenda erat , sed exquisito etiam corporis motu et gestibus loquebantur. Omnia hæc eo tenebant , ut audientes non tam ipsi perciperent , intelligerent , judicarent ; sed alieni arbitrii servi in partes quascunque improviso impetu compellerentur.

## §. VI.

**U**bi viri in patriam bene animati , & rerum gerendarum periti , his artibus utebantur , non dubium est , quin communi emolumento rectius fuerit prospectum , quam si nemine dirigente , singuli pro sua ignorantia inconsulta tulissent suffragia. Quantum dictæ artes profuerint , res apud veteres illarum adminiculo sapienter suscep- tæ , & feliciter administratæ declarant. Si Graecos adierimus , apud illos inveniuntur Solon , Lycurgus , Themistocles , Pericles , Demosthenes , aliquæ & Eloquentiæ facultate conspicui , & meritis in patriam celebrati. Ubi ad Romam nos convertimus , hæc non solum fortissimos bellatores , verum oratores quoque præstantissimos exhibebit , quorum facundia arduis in rebus maximum ipsi præstitit adiumentum. Mene- nio Agrippæ id laudis debetur , qui simplici quidem ast arguto commento , de ventre cum reliquis membris litigante , civitatem , pericolosissima fedi- tione in factiones contrarias divisam , ad unionem & concordiam revocavit. Magno deinde numero in ci- vitate Romana prodierunt Oratores , de quibus parti- culari

culari tractatu egit Cicero ipse Oratorum princeps. Difficile admodum foret, imo impossibile, recensendo percurrere, quid singuli dicendo effecerint, hoc tamen, adstipulante omni fide historica, contendimus, quod nunquam tot calamitates a civitatibus hisce avertire, ac tot commoda iisdem procurare valuerint, nisi hoc subsidio instructi fuissent.

## ¶. VII.

**Q**uemadmodum vero res optimæ & utilissimæ, adveniente abusu in nocumenta & pestes haud raro degenerant, ita Eloquentiam eidem fato obnoxiam fuisse comperimus. Quæ primum excolebatur, ut luxuriantem vulgi licentiam castigaret, rudiumque voluntatem sapientum judicio submitteret, hæc facis ministeria subiit ad incendendam plebis temeritatem. Cujus fuerat officium enascentes discordias compescere, & in herba opprimere, illa omnis dissidii, turbarum & seditionis facta est mater ac nutrix. Qvum veri & cordati oratores ad publicum bonum ubique respicerent, & cives ad illud promovendum vel invitos pertrahere laborarent, exstiterunt alii, qui posthabito communī emolumento, privatæ solū rei augmenta quæsiverunt. Talis erat Pisistratus, qui saluberrimis Solonis rogationibus obnitens, mellea verborum svavitate Atheniensibus persuasit, ut liber-

libertate , cuius alloquin tenacissimi fuerant ; neglecta , regiam sibi potestatem offerrent . Plurimas deinde maximasque in civitate ista turbas concitauit factiosi illi Demagogi , quibus in turbido pescari maxime fuit lucrosum . Quis ignorat , quantos in Republica Romana fluctus concitaverint Gracchi , viri tantum eloquio pollentes , ut iudice Plutarcho , cæteri ejus temporis Oratores , cum illis comparati , non pueris præstiterint ? Imo omnes fere tribunitiae procellæ , quibus gravissime concutiebatur civitas Romana , seditionis orationibus concitabantur .

§. VIII.

**T**erigimus , quid in deliberationibus publicis valuerit Eloquentia , jam ad judicia progrediamur , quomodo se in illis exseruerit , pari brevitate dicturi . Erat forum non solum Rhetorum ludus & palæstra , in qua ingenium exercitarent , sed proprium quasi spatium & campus , in quo omnem dicendi vim & copiam explicuerunt . Unde etiam videremus monumenta & præcepta ; quæ de tota hac arte veteres confignarunt , imprimis ad tori certamina collimare . Nec possumus diffiteri , quin plurima in illis haud spernenda obveniant , quæ nostro adhuc tempore suum retinent pretium , semperque retinebunt . Quemadmodum omnes controversiæ forenses ex

ex factis quibusdam exoriuntur, ita in hisce enarrandis diligenti studio versabantur. Nec loci tantum ac temporis aliasque expreſſerunt circumſtantias, verum etiam omnia collegerunt & inter ſe compararunt, quæ ad fidem dictis faciendam aliquid ponderis adferrent. Historia facti proposita, investigarunt, tota cauſſæ diſceptatio quo cardine verteatur, quem Græci ~~κενόμενον~~, Latini ſtatum cauſſæ vocarunt. Quod ſi vero unum ~~κενόμενον~~ plura comprehendenderet momenta, etiam hæc diſcrimina obſervarunt, ad certa quædam capita ſingula revo- cantes. Ulterius adhibuerunt argumenta, quæ ſuæ quilibet cauſſæ judicavit idonea. Excepérunt denique, quas adverſarius rationes produxerat, easdemque pro virili refellere laborarunt. Hæc firmituntur fundamento, & in qualibet actione forenſi utique ſunt neceſſaria.

### §. IX.

**A**lia jam videamus, in quibus Oratores ſuum ar- tificium oſtentarunt. In conciliando diſcum in favore plurimum operæ ponebatur. Communis quippe erat perſuasio, homines ex rei veritate parum diſcuare, ſed gratiam & odium cæterosq; affectus plenum ubiq; exercere dominium. Ad benevolentiam captandam expoſuerunt, quales vel ipſi vel clientes in rempubli-

cam fuerint, & quæ civibus præstiterint officia. In judicium quoque laudes exspatiantes, res ab illis iuste sapienterque judicatas prædicarunt, aliis juxta prolati, quæ aures illorum titillarent. Ipsos adversarios in odium & contemtionem adducere moliebantur. Unde quælibet illis crimina objectarunt, etiam quæ cum præsenti, de quo agebatur, negotio, nihil affinitatis habebant. Certe apud Ciceronem ipsum tot tantaque convitia legimus, ut infimus ex plebe plura & acerbiora vix profundere sustineret. Nihil tam planum erat ac evidens, nihil tam stabile & firmum, quod hi gigantes invadere & prosternere non conarentur. Ad fidem testibus derogandam urgebatur, homines frequenter fallere, quosdam auro corruptos, alios odio vel amore, nonnullos levitate falsum dixisse testimonium. Contra vero, ubi alia opponebantur argumenta, facilis erat exceptio, ingenio non esse indulgendum, certa tantum & explorata admitti debere, paucissima inveniri, de quibus mortales ubique consentiunt, qui tamen omnes pro suis opinionibus pugnant. Qyum paœta sibi obſtare intelligerent, contenderunt hæc fraudibus & coaetione identidem vitiari; judicibus vero solam justitiae normam propositam esse. Egregium certe monitum! quasi vero paœtorum servatio justitiae adverſaretur. Qyum ad juramenta provocaretur, illico reponerent, interdum perjuria committi. Quid? quod virtutes in vitia & vitia in virtutes reciproca meta-

mor-

morphosi transformare pulcherrimum haberetur. Qui in scriptis Philosophicis contra voluptatem acerrime disputavit Cicero , in orationibus quandoque ejusdem suscepit patrocinium. Idem in libro de Oratore Antonium inducit gloriantem , quod in causa Norbani, quam contra Sulpitium defenderat, seditiones laudando tantum præstiterit , ut præter omnium exspectationem superior evaserit. Ubi gravissimorum criminum accusatos tuebantur patroni , non solum vultu , gestibus & lacrimis ipsi mœrorem testabantur , sed reos etiam produxerunt folidatos , eorumque patres, cognatos & amicos , ceu tristissima quædam spectacula proposuerunt; filios quoque parvulos adhibuerunt , ut vel solus eorum adspectus commiserationem eliceret. Sic nihil intermittebatur, quod ad commovendos præsentium animos unquam potuit excogitari. Eò dignitatis hæc evaluerunt inventa , ut ipsa jurisprudentia vilipenderetur , modo quis illa calleret , & in aciem recte produceret.

## §. X.

**Q**UAM noxia hæc fuerint stratagemata quem poterit latere ? Neminem tam crassa genuit barbaries , qui nesciat , judicem , suo si officio ritè fungatur , a studio partium & perturbationibus liberum esse

esse debere; quæ nebulæ, si animo ejus fuerint of-  
fulæ, neque verum a falso, neque justum ab inju-  
sto discernere valebit. Omnis igitur hic Orato-  
rius apparatus adversa cum illis fronte pu-  
gnayit, quæ juris rite dicundi  
exigit natura.

**SOLI DEO GLORIA.**

